

93 B.
Hist. Univ. 1. 15
XXXIV
1372

Dei & Superiorum Gratia
De
JUDICIO HL.
STORICI,
Dissertationem posteriorem
PRO LOCO.

Apud Inclytam Facult. Philosoph. obtinendo

exhibet

M. CHRISTIANUS Weise I

Zitta Lufatus.

ad d. 26. Aug. M DC LXVIII.

H. L. Q. S.

LIPSIAE,

Literis JOHANNIS COLERI.

ist. univ.

54,40

z

V I R I S

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis atq;
Prudentissimis,*

Inclytæ Zittaviensium Reip. Patribus,
DOMINIS

DNO. ANTONIO à Kohl Consuli Gravissimo

DNO. JOHANNI Eichlern ab Auritz in Poritz/
Judici Spectatissimo.

DNO. DAVIDI JENTSCHIO, J. U. L. SENATORI,
Ac JUDICIORUM Assessori, dexterimo.

DNO. JOHANNI GEORGIO Arnsdorffen/
Senatori meritissimo.

*Snam devotionem serviendi, promptum
dinem;*

Hac thesum oblatione

decenter contestari voluit, debuit

AUTOR.

C. D.

I.

Ria sunt quæ à bono Historico re-
quiruntur: VERITAS, EXPLANATIO, JU-
DICIUM. Veritas narrat, explanatio decla-
rat, Judicium demonstrat: ab illis historicus
fit legitimus; ab hoc perfectus: Ibi narratio-
nis quasi corpus est; hic anima.

II. Cum igitur superioribus annis IDEAM BONI HI-
STORICI delineare constituissim, laborem ita dividebam, ut
quæ ad priores duas virtutes spectarent, peculiari dissertatione
comprehenderem; ultimam eamque nobilissimam partem poste-
rioribus cogitationibus reservarem: digna quippe videbatur,
quæ separatam sibi vendicaret industriam.

III. Nunc ubi ad solvendum me provocat occasio, parem
juvat in servando quam in promittendo ostendere promptitudi-
nem; utinam easdem ab autoribus hinc inde accepisset suppeditas.
Nescio enim cur tam infelix fuerim, ut quo magis in hanc
materiam inquirerem, eò minus invenirem, quod lucem mihi
posset affundere. Sic meis relictus meditationibus, quædam c
Lipsii notis ad Doctrinam Civilem; plurima, ut aranea, ex me
ipso elicui, non sine firmissima spe, fore, ut leviora, quorum
ipse esset autor, melius acciperentur, quam si præstantiora
alii ante me scripsissent.

IV. Aggredior vero istam Historiæ notam, sine qua, nec
magistra vitæ, nec ἀρχὴ τῆς Φρονήσεως καὶ σοφίας, nec αὐτόνομη
διδασκαλία, merito vocari potest: imo quæ sola efficit,
ut rerum gestarum memoria, ab eruditis diligenter commendetur,
ab omnibus utiliter tractetur.

V. Nolim tamen intelligi Judicium historicum, qvemadmodum accepit Bodinus in Methodo Historiarum. Illud enim cadit in lectorem, ut qvæ ab aliis scripta sunt, ad perfectionis vel ineptitudinis mensuram accommodet, & magis ingenium ac prudentiam autoris, qvam res perspiciat: Nostrum autem ipsi scriptori domesticum est, ut de rebus, qvæ explicandas suscepit, & legitimè sentire, & decenter loqui possit. Ac proinde nulla utriusqve est cognatio; nisi qvod unum forte ex altero nascitur, & bonum historiæ Judicium, lectoris non dissimilem excitat censuram.

VI. Sed anteqvam ipsa tractatio me distinet, operæ pretium fuerit in historiarum utilitatem inquirere, qvam multi prolixè, pauci accurate perseqvuntur. Hoc enim Judicij opus est, ut qvoties vel obscuritas vel ignorantia vel error vel qvælecunqve impedimentum lectori sedulo utilitatem eripere vult, toties suo lumine tenebris incumbat, aurumqve ex pulvere, eruat, atqve ideo in qvot partes abit historiarum fructus, tot etiam sibi non potest non tribuere Judicium.

VII. Disseminatur verò tam insignis ubertas per omnium fere disciplinarum campos. Theologi ex hæresium ortu, progressu & interitu purioris doctrinæ certitudinem; ex eventuum mirifica ordinatione Dei providentiam observant. Jcti antiquorum vel exterorum legibus & consuetudinibus gaudent, sicut hodie magna studii juridici pars vetustatis notitia consumitur. Medici qvemadmodum & Physici lusus & errores naturæ, morborum & curatum pericula, uno verbo, tentatas creaturarum vires attendunt. Astrologi nunqam impunie accusos Cometas, vias infeliciter eclipses, factas non frustra conjunctiones exculpunt: Geographi suis delineationibus adminicula qværunt, imo, nulla ars tam est exilis aut abstrusa, qvæ in historiarum monumentis aliquæ suæ curiositatis vestigia non deprehendat.

VIII. Neqve tamen istre utilitates ad meum spectant negotium. Apparent enim ut plurimum præter intentionem & scriptoris & historiæ, scribentisqve calamo subrepunt, vel ut ~~magis~~, vel ad alienum finem: sicut ab hæresium intellectu muta-

stitutionum politicarum ratio s^epe dependet; à legibus con*fi*-
liorum pœnarumq*ue* fundamenta interdum petuntur; à terræ
sacerorumq*ue* designationib*us* incolarum conditio cognosci-
tur.

IX. Propius ad scopum pervenero, si utilitatem historiæ
divisero in Ethicam & Politicam.

X. Ethicam asseqvimur, cum per exempla bonorum ad Vir-
tutem invitamur, per facinora improborum à sceleribus ab-
sterremur. Si enim unica olim præclarí hominis statua tantam
habuit efficaciam, ut ejus aspectu pluri ad honestatis studium
excitarentur: Si etiam pœna propterea infliguntur merentibus,
ut alii eundem scopulum evitare discant, quanto facilius proce-
dit historia, q*væ* non unam saltem statuam, aut unum suppli-
cium, sed innumerā pulchritudinis atque turpitudinis specta-
cula in apertum q*væsi* theatrum adducit.

XI. Imo si præmia & pœna ex merito ubique non dispen-
santur, q*væ* rerum humanarum inæqualitas est, fama certe post
mortem, q*væ* cessante amore & invidia, scapham scapham vo-
cat, ligonem ligonem, ita occupare potest mortalium animos,
ut qui nec virtutis amore, nec pœna formidine se patiuntur
commoveri, memoriæ superstitione ignominiam exhorrescant.

XII. An autem istum effectum intendat historicus, dubita-
ti possit, propterea, q*vod* privati hominis descriptio, q*væ* vel
optimas vivendi producit regulas, à multis pro historia non ha-
betur, praesertim ab iis, qui res memorandas ad solam R*em*p.
astringunt.

XIII. Nihilominus quamdiu historia audit Magistra vitæ,
tamdiu nihil ab eadem separo, q*vod* nos meliores reddere potest.
Posito etiam ad R*em*p. omnia debere collimare, certe homines
ad virtutem stimulos accipiunt, non tantum ut boni sint, sed ut
bonitatem suam referant civitati, ibique præclaris meritis pu-
blicam salutem promoveant. Ubiquique igitur perfectus ef-
formari debet politicus, virtutis cultura aut necessario præ-
supponitur, aut sine jactura insigni abesse non potest.

XIV. Ex his tamen perspicuum est, Ethicam inservire,

qvāli Politicæ, ideoqve iūtiū in historia majorem reqviri cu-
ram.

XV. Ast duō sunt qvæ ingenuum & absolutum Politicum
efficiunt, DOCTRINA & EXPERIENTIA. Doctrina utitur
regulis, experientia exemplis. Illic prudentia inchoatur dum
discimus scire, hīc absolvitur, dum discimus agere: doctiores
reddimur in scholis per actionum remotam contemplationem;
expertiores in Civitate per earundem propinquum usum & tra-
ctatum.

XVI. Sed qvicqvid sit de Doctrina: Experientiæ munus in
eo consistit, ut principia prudentiæ, vel ad actiones qvibus
præsens est applicet, vel ex iisdem eliciat, atqve hinc, qvia feli-
cior qvam per sensus non est cognitio, nullibi ad majorem cer-
titudinem ac firmitatem componitur animus. Deest tamen
interdum tempus, aliquando vis, s̄ape etiam industria, quo
minus ē propriis periculis omnes regulas queamus illustrare;
Historia igitur naturæ nostriqve defectum supplet, colle-
ctisqve ex omni ævo eventibus sine metu sine calamitate, studia
hominum inspicere atqve tractare jubet.

XVII. Qvia vero multi sunt, qvi in omni eruditioñis gene-
re exercitatissimi, tantum non universæ historiæ adyta excusse-
runt, nec tamen ad politicas actiones fiunt idonei, id qvod in
Trajano Boccalini conspectum fuit, qvi, ut Galba dignus im-
perio fuisset habitus, nisi imperasset; sic optimi politici fidu-
ciam apud omnes retinuisset, nisi aliquando officium tenuisset:
non abs re fuerit hīc monere, historiam quasi medianam versari
inter doctrinam & experientiam, imo magis inclinare ad specu-
lationem, qvamdiu aīimus propriæ experientiæ expers est.
Usus enim tot circumstantias, tot varietates ac minutias adver-
tere discit, qvas inexcitatus Lector non magis affequitur, qvam
si puer, qvi nondum sensit cupidinem, percurrat amores O-
vidii.

XVIII. Qvare ut historiæ sua maneat dignitas, immit-
tendus eidem lector vitæ & Reip. vel assvetus vel peritus. Sic
resultabit aut bonus gubernator, aut felix consiliarius.

XIX.

XIX. Atque hæc est tot carminibus ac declamationibus deprædicata utilitas, qvam sub incudem nunc revocavi. Nam si præterea qvicq;am conferunt ad tollenda Principum dissidia, qvoties de antiquis terminis, de pactis ac prætensionibus obsoletis novæ reciprocantur controversiæ, *veritatis* potius est qvam *Judicium*.

XX. Nunc ubi ad ipsam rem accedere fas est, *Judicium* qvod ad hunc locum pertinet, si non optimè, saltem non ineptè vocari queat, *Virtus historici quæ scriptionis utilitatem lectori insinuat*. Insinuat enim, non ex professo docet, qvippe hoc ex historico faceret Philosophum: sed obscuris interdum incedit ænigmatibus, scilicet ita magis accedit ad usum, qvi considerando crescit, & qvo longius rei perpendendæ inhæret, eo citius se perficit.

XXI. Adqve id est qvod Lipsius reqvirit, ut judicium breviter & quasi aliud agendo suscipiatur, possuntq;e huc applicari profunda ejusdem verba, qvæ extant in præfatione ad notas in Tacitum; *Politica*, inquit, *non attigi, sive enim peritis sive imperitis frustra*. Illi sponte eligere possunt; hi nec electis recte uti.

XXII. Materia fraudet ut paulo agam prolixius, sed in antecessum qvædam tangerida sunt. Primo faciendum esse discriminem inter verba ponderosa & pomposa, nec ubique latere solidum Judicium, ubi oratio superbis turget sententiis. Ideo enim Tacitus parens in judiciis vix invenit, qvia difficile est, nullum vocabulum sine ratione & pondere proferre.

XXIII. Deinde notandum aliquos in judicando arctos esse & astrictos, alios apertos & planos. Hi Principibus, illi Consiliariis in manus dandi: ne Principes anxia deterreat, inquisitio, & ut Consiliarios occultior exerceat instru&ctio.

XXIV. Sed redeam ad propositum, & qvia duplicem supra feci utilitatem, qvæ per judicium insinuari debet, Ethica quidem sic comparata est, ut multa explicatione opus non habeat: satis enim loquuntur ipsa personarum facta, qvæ censuram nimis efficacem post se relinqvere solent. Nihilominus tamen

tamen officio suo egregiè satisfaciunt, qui aliquos vel probandi
vel damnandi leviter aspergunt colores.

XXV. Idque si quispiam alius egregiè assecutus Cominæus; Qvam fideliter slistit Carolum Burgundum, utriusque
fortunæ nimis impatientem, qui prosperis rebus, confisus amicorum & sociorum copia, bellandi jutixiam è sua cupiditate
gloriæ æstimaverat: sed post unius prælii infelicitatem amicos,
post alteram cladem animum & prudentiam, tertia dimicatio-
ne vitam amiserat, clarissimo indicio, eum nec initio ferociendi,
nec postea desperandi habuisse causam.

XXVI. Imo ille ipse Autor ita finit suos commentarios;
ac si omnia direxisset ad componendam placidè fortunam, &
verba ejus sunt, ut metuamus diuinum iudicium; & studemus in
omnibus rebus equitati, & contentissimus mediocri vita genere, neq;
defatigemur iis caris, quales fere suscipiuntur, numra quadam cu-
piditate & ambitione augeundi.

XXVII. Pressior hac in parte Tacitus, quasi aliquam
judicandi operam reliquisset evolventibus: Sic fædam Romanorum
adulationem adversus Tiberium aliter non carpit,
qvam ipsius Imperatoris ludibrio: paratos esse homines ad servi-
tutem: Et satis se perstrinxisse putat Galbae senectutem, si in-
timos ejusdem ministros T. Viniūm & Cornelium Laconem
alterum vocet mortalium déterrimum, alterum ignavissimum:
Etiam ubi liberalior in commendando esse cupit erga socerum
Agricolam, ubique tamen magis narrare videtur qvam instrue-
re. Ac proinde Virtutis igniculos qvos Cominæus subiecta,
quasi flamma excitat Tacitus è silice extorqvet.

XXVIII. Libenter profecto facio, ut istis exemplis inhæ-
ream, ne aliqui nimium se putent sapere qvibus aut Ethica sor-
det, aut ad Politicæ consummationem parum videtur conve-
niens. Perpendant enim, an inculcata ab historicis affectuum
inter fortunæ extrema mediocritas, qvæ ad Ethicam refertur,
abesse queat à suo studio. Sed hæc obiter.

XXIX. Politicum nunc restat Judicium, qvod censente
Lipsio in eo versatur, ut discriminem lumenq; rebus adhibeat, & hoc
pro-

probet hæc damnet. Unum magis est necessarium, alterum ma-
gis in arbitrio scribentis ponitur.

XXX. Sed qvomodo adhibetur rebus discrimen & lu-
men, clarius qvām per opposita describi non potest, tolli *confu-*
sionem & obscuritatem.

XXXI. Confusio duplex est, vel enim occurrit in ipsa hi-
storia, vel in comparatione ad præteritas seu externas.

XXXII. Prioris vestigia in principio Historiæ ostendit Ta-
citus. Descripturus enim hilaritatis ac tristitiae post excessum
Neronis varietates, admodum distinctè loquitur: Patres licen-
tius usurpata libertate lætos; Primores eqvitum gaudio patrum
proximos, partem populi integrum & magnis domibus anne-
xam, clientes libertosqve damnatorum & exulum in spem ere-
ctos, accuratè separat à plebe sordida & circo & theatro assveta,
vel deterrimis servorum, qvi adesis bonis per dedecus Neronis
fustentati fuerant, mæstos tunc & rumorum avidos. Sic Co-
minæus dum Caroli Burgundi cum Lotharingo turbas persequi-
tur, qvām prudenter omnia discernit. Melius fuisse dicit, Nan-
ceum à Lotharingis obseßum subitis auxiliis sublevare, qvām
novum bellum in Helvetios meditari; qvippe oppidum in vici-
nia commodum, nec hostis adeo paratus; ex adverso consta-
bat vires Helvetiæ sine causa, sed non sine clade tentari posse.
Deinde quid intersit inter audacem & precariam loqvendi ratio-
nem, in Præfecto urbis demonstrat, cui facile fuisset obseſſos
confirmare, nisi versus ad preces, qvæ ad sui sententiam face-
rent, timidè ac modeſtè dixisset. Tandem cum recuperandum
effet Nanceium, consultius ait fuisse, præſidiis vicina loca mu-
nire, ibique commeatuum importationem prohibere, qvām no-
vam moliri obſidionem.

XXXIII. Altera Confusio nascitur ex imprudenti aliarum
historiarum comparatione. Hinc Richelius Cardinalis, in sua
apud Gramondum de suppetiis Mantuanis consultatione, gra-
viter refellit secus statuentes, qvi qvod superioribus seculis ex
voto non cesserat, nunc qvoqve inter impossibilia rejiciebant,
ostendebatqve capta jām Rupella, universo terrarum orbi in-
sedisse credulitatem, nihil esse supra vires Galliæ. Præterea

B

cum

cum aliqui defatigatos obsidione annua milites objicerent, distinguebat inter apertum bellum, quod continuis motibus esset obnoxium, & inter securiores obsidentium excubias, quæ pro stationibus magis haberi debuissent.

XXXIV. Atque istius rei momentum non exiguum est. Multi enim & Principes & Consiliarii ob intempestivam imitationem in præsentissimam prolapsi sunt perniciem. Eat aliquid in Angliam, & in hoc rerum statu Cromvveli historiam renovet: vel descriptam hinc inde Gviforum ferociam Galliæ rursum injiciat; vel Coronæ Bohemicæ controversiam nostro moveat Leopoldo.

XXXV. Similis sine dubio fuerit talis Politicus Qvixotio cuidam Hispano, qui perlustratis Amadisii, Tristrantii, & id genus nugacissimis fabulis, eò processerat absurditatis, ut quæsturus Gigantes, incantationes, amores, ad iter se accingeret, imo, quod nullibi legisset, Eqvites pecunia fuisse instructos, nunc quoque relictis domi sumptibus, gratuitum ubique prætenderet diversorium.

XXXVI. Hæc de Confusione: videamus nunc Obscuritatem quæ lumen postulat, ubi locum habere potest illud Taciti, quod in præfatione ad Historiarum libros adducit, repetendum esse qualis status urbis, quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causæque noscantur. Nam hoc ipso innuit, ut ego quidem intelligo, se non solum causas actionum impulsivas, sed consilia quoque observaturum.

XXXVII. Ago de obscuritate rerum, igitur quæ ad stilum explanatiorem, vel ad clariorem dispositionem pertinent, priori dissertatione expedita sunt: Neque huc adeo quadrant excursiones illæ in Geographiam, Chronologiam Genealogiam, quibus historia mirifice illustratur: in talibus enim plus occupatur memoria quam Judicium.

XXXVIII. Manendum ergo in rerum *causis* & *consiliis*, quippe quod arctius ea inter se cohærent, eò majori indigerit dilucidatione, cum alias sint distinctissima. Inspiciamus bellum

Ger-

Germanicum, ejus Causa protectio à parte Pontificiorum erat
Invidia adversus seculares bonorum ecclesiasticorum possesso-
res, à parte Lutheranorum timor & odium erga imminentem
rapacitatem; à parte Reformatorum exclusio à pace religiosa.
Confilia vero expediebantur in unione & Liga. Sic in perse-
cutionibus Belgicis Hispaniæ Regi causam subministrabat affe-
ctata dominatio: Confilia autem tot mutationibus absolve-
bantur, ut læsa subditorum patientia in rabiem degeneraret,
seditioni jure belli vincerentur, victi leges ex arbitrio victoris su-
merent, jacturamq; omnium Privilegiorum justissimè tolera-
rent.

XXXIX. Sed Causæ interdum veræ sunt, aliquando sal-
tem apparentes, quas προΦάσεις dixit Polybius. Sicut in fœdere,
quod Franciscus I. Galliæ Rex cum Solymanno Turcico percutie-
rat, intimus respectus ad infringendam Caroli V. potentiam
tendebat; aperte tamen jactabatur prætextus commerciorum
promovendorum. Liga Sancta quæ ante hoc seculum miseri-
mè distrahebat Galliam, ab Hispanis tanquam è fonte procede-
bat, qui excitatis in spem successionis Gvifiorum animis, natio-
nem sibi inimicam juxta ac formidabilem in extremas conje-
rat discordias, titulus tamen restaurandæ religionis, extirpæn-
dorumque hæreticorum in omni justificatione utramque pagi-
nam faciebat. Ita cum Ferdinandus Catholicus Regem Na-
varræ exueret ditionibus, nemo dubitabat, quin lubido clau-
dendi regna sua montibus Pyrenæis eam expeditionem suscitas-
set; interea excommunicatus à Pontifice Albretanus, sumptæque
ab ipso pœnæ incrustamenti loco adhibebantur: Sed cur non pu-
niebat Ludovicum XII.

XL. Istorum igitur sedula segregatio, ut facit ad confu-
sionis evitationem, de qua supra, ita concinna dilucidatio nihil
relinquit obscuritatis, audeo certe dicere, primum hic judicii
esse fundamentum:

XL I. Confilia etiam unius generis non sunt; sive enim
bona sint sive mala, quædam in semine quasi intereunt; aliqua
in mediis actionibus, in ipsa velut herba corrumpuntur; pau-
ca ad felicem diriguntur eventum. Ad primam classem com-

modus referas agitatas inter Hispanos de quinta Monarchia consultationes; vel etiam Henrici IV. Regis Galliae spem potiundi Imperii post excessum Rudolphi II. Ad alteram spectat Wallensteinii de occupanda Pomerania concepta opinio, fore ut expugnata Stralsundia, eadem opera Maris Balthici arbitrium indisceretur: Huc etiam Rohanæus Sveciæ Regem Gustavum Adolphum recensere videtur, cum non occulte innuit, speravisse eum ex bello Germanico Regis Romani coronam. Ultima classis ornari potest exquisitissimo Mauritii Saxoniæ Electoris exemplo, qui pacto cum Henrico II. Galliae Rege, fœdere non solum pertinuerat inhantem universæ libertati Carolum, sed quoque, vix speratam transactionem postea pacem in salutem Germaniæ, incrementum Ecclesiæ, fideliter extricabat.

XLII. Hoc tamen cuiusvis judicio expositum non est, nec in unumquemque oculum acuta illa cadit Principum *καρδιογνωσία*, præsertim si eventus arcana senatus in apricum non emiserit. Atque ideo libentissime fidem habere soleo iis, qui penes Principem versati, per longinquas & operosas argumentationum ambages nunquam progressi sunt. Quia in parte felicissimus fuit Guinæus, suorum quibus ministravit Principum perpetuus ac intimus Comes, ut cum alias literarum penitus esset rudis, doctrinæ absentiam tam perspicaci compensaret experientia.

XLIII. Sed ponderavimus petitum à Judicio discrimen & lumen; quæ autem nunc probanda, quæ damnanda? quo stilo? quæ audacia? O pulchra, at etiam difficilis pars, quæ genuinam post se trahit prudentiam. Nam quæ in recensendis causis, in exquirendis consiliis allata fuerunt, hic ad Lydium lapidem examinantur, parique libertate ac licentiâ censuram experiuntur.

XLIV. Lipsius requirit brevitatem, eamque observasse Tacitum vide. Cum enim probare vult consilium mutatae Reip. in Monarchiam, nervosè inquit, *mnem potestatem ad unum transferri pacis interficit*: Sic ubi Agricola deficiente navigatorum usu, milites natando transportaverat in Britanniam, *nihil arduum ait credidisse incolas, aut invictum sic ad bellum venientibus*. Ejus vero modestiam in detrectanda gloria ita commendat: *dissimulatione famæ famam auxisse, estimantibus quanta futuri spectam magna tenuisset*.

XLV.

XLV. Apertiori stilo incedit Cominæus, ut fere nunquam narrationibus non adjiciat suam sententiam, nec tamen exorbitet vel in adulationem vel in odium, sed ipsa Conscientia duce, res abstrusiores simplici faciliq; sermonis genere pertexat.

XLVI. O si omnes historici ad istum componerentur modulum: Pauci tamen sunt qvorum Judicia undiqvaq; sive ab iniqitate sive ab imperitia liberentur. Nam si tantum motuum Belgicorum, vel turbarum Germanicarum nuperas descriptiones evolvamus, in narrationibus & Judiciis unumq; fere alteri contrarium, atq; ideo aliquos necessario falsos deprehendimus,

XLVII. Interim quo rarer purus prudentiæ thesaurus, eò charior esse debet, si probatus sit. Nec sine dolore cogitari potest, Imperatorem Novæ Romæ Constantimum Porphyrogenitum, Leonis Philosophi filium, Principem literatissimum, collectis hinc inde Historicorum judiciis jam implevisse quinquaginta libros, sed Collectanea tam pulchra, tam ad usum & vitam utilia, indignam multis autoribus stragem excepisse.

XLVIII. Sed anteqvam receptui cano, coronidis loco sub jungenda qvæstio incidit, annon Poetarum fabulæ, aliorumq; sapientiæ plena figmenta pari cum historiis passu ambulent. Sunt enim ad exemplum vitæ, ut de Xenophontis Cyro sentit Lipsius, & profecto, idem ad excitandum Alexandrum M. effecerat Homeris Achilles, qvām apud Carol. V. & Solimannum Curtius.

XLIX. Verum enim vero si utilitatē habent, plerumq; deest fides & credulitas, sine qvibus vinculis attentio vix astringitur. Atq; hinc breviter pronuncio, qvod in experientia propria præfentia præstat, id in Historia efficit veritas.

L. Calamus scribendi operam detrectat, nec animus plura suæ tenuitatis indicia protrudere cupit. Sit igitur hic terminus, & qui prolixiorem Historicorum recensionem à me requirit, in Tacito & Cominæo reliqvorum laudem comprehendi putet. Lipsio ad exscriptionis commoditatē libenter suissem abusus, sed ejusdem brevitas pessulum objecit invastro. Aliorum scriptorum, si extant, ignorantia, meam innocentiam juxta & simplicitatem excusaverit. Deum verò precor, ut nobilissimam humanitatis portionem historias finet porro efflorescere, earumq; celeberrimos custodes Academiæ nostræ in longos annos velit indulgere.

COROLLARIA.

I.

ARRIAGA Disp. Log. 2. sect. 2. subs. 2. contra præcisiones objectivas ita argumentatur: Ut se habet existere & non existere, ita se habet cognosci & non cognosci. Atqui repugnat existere hominis animalitatem, non existere rationalitatem. E. Sed hoc argumentum non contradicit adversariis.

II.

Incredibile est quatuor Elementa consistere ex simplici materia sine forma.

III.

Qui calidum definiunt quod calefacit, frigidum quod frigefacit, Aristoteli non sunt contrarii.

IV.

Jus naturæ & Decalogus non sunt idem.

V.

Majestas non est indivisibilis.

VI.

Nec à Deo creatur immediate.

VII.

Habetque locum in statu populari & Optimatum.

VIII.

Nolim tamen cum Boxhornio duplicem statuere Majestatem, alteram Imperantis, alteram Reipublicæ.

IX.

IX.

Nicephorus Imp. Constant. non magis contulit Carolo M. Imperium, qvam Zeno olim Theodorico Gothro concesserat Italiā.

X.

Imperatori nihil decedit, si statuatur, (falsò licet) Carolum M. dignitatem accepisse à Pontifice.

XI.

Titulus verò Imperatoris nihil aliud importat qvàm superioritatem inter Christianos Principes.

XII.

Advocatia autem sedis Romanæ, qvam Monzambano essentialiter ei adjunxit, potius Conditio est.

XIII.

Rex Galliæ jure antecedit Hispanum.

XIV.

Rex Hispaniæ jure antecedit Gallum.

XV.

Respublica Polonica Venetæ valde est dissimilis.

XVI.

In successione Portugalliæ anno 1580. Philippi jus potius videtur fuisse qvàm Ducis Bragantiae.

XVII.

Nimis curiosus fuit Tiberius, qvod nominaturus in Senatu Monopolium, proferendi exotic vocabuli petierit licentiam.

XVIII.

XVIII.

Imperator Sigismundus, cum dixisset Schismam, correctus à qvodam Abate, impostorum, inquit, schisma fuerit primæ declinationis. Potuis igitur aliquis sine absurditate rem imitari.

XIX.

Qværitur, qvid apud Tacitum lib. 2. Ann. in Oratione Tiberii ad Hortulum sit, *egredi relationem*, videtur idem significare, ac ad aliam qvæstionem aliud respondere.

XX.

Salustio vix habeo fidem cum in bell. Jug. Mauros pro Medis appellatos esse sentit.

XXI.

Græcum β olim pronunciabatur ut v.

XXII.

In Poesi Germanica omnis Constructio, qvæ in prosa non toleratur, vitiosa est.

XXIII.

Pruritus novitatis, & scriptionis antiquæ ignorantia, syadent scribere ſſ. ff.

